

Author: Faernus

Title: 70. Cerva et Vitis

URL:

<https://archive.org/details/fabulaecaesopica00came/page/161/mode/1up?view=theater>

Vim venatorum fugeret cum cerva sequentum,
Frondea ramosa subiens umbracula vitis
Delituit, donec iam discedentibus illis,
Se rata iam tutam defunctamque esse periclo,
Ipsa suas ausa est morsu exagitare latebras,
Et sibi praetentas avide decerpere frondes.
Quem motum ramorum, agitataque, vitea tecta
Conversi venatores cum forte viderent,
Illud opinati quod erat, sub fronde latentem
Esse feram, certis miseram fixere sagittis.
Quae moriens, calidoque animam cum sanguine fundens,
Lure, ait, hoc patior neque enim umquam laedere quae me
Servarat, debebam, aut tales reddere grates.
Divina ingratos homines ulciscitur ira.

cerva,
cum fugeret vim
venatorum sequentum,
subiens
ramosa frondea,
delituit
umbracula vitis,

donec,
iam discedentibus illis,
se rata
iam tutam
et defunctam esse periclo,
ipsa ausa est
exagitare suas latebras
morsu
et avide decerpere
frondes
praetentas sibi.
quem motum ramorum
et agitata vitea tecta
cum forte
venatores, conversi, viderent,
opinati
illud
quod erat latentem sub fronde
esse feram,
fixere miseram
certis sagittis.
quae ait,
moriens
et fundens animam
cum calido sanguine,
"iure patior hoc,
enim

neque umquam debebam
laedere
quae me servarat,
aut reddere tales grates."
divina ira
ulciscitur ingratos homines.

meter: hexameter

Vim ve·nato·rum fuge·ret cum · cerva se·quentum,
Frondea · ramo·sa subi·ens um·bracula · vitis
Delitu·it, do·nec iam · disce·dentibus · illis,
Se rata · iam tu·tam de·functam·qu~ esse pe·riclo,
Ipsa su·as au·s~ est mor·s~ exagi·tare la·tebras,
Et sibi · praeten·tas avi·de de·cerpere · frondes.
Quem mo·tum ra·mor~ agi·tataque · vitea · tecta
Conver·si ve·nato·res cum · forte vi·derent,
Illud op·ina·ti quod e·rat, sub · fronde la·tentem
Esse fe·ram, cer·tis mise·ram fi·xere sa·gittis.
Quae mori·ens cali·doqu~ ani·mam cum · sanguine fundens
Iur~ ait · hoc pati·or nequ~ e·n~ umquam · laedere · quae me
Serva·rat, de·beb~ aut · tales · reddere · grates.
Divi·n~ ingra·tos homi·nes ul·ciscitur · ira.

